

[86v]

DIVUS JOANNES NEPOMUCENUS
tenera in aetate virtutis et scientiae illustris idea,
imitationi studiosae juventuti propositus

Agente pro theatro academica mediae classis grammaticae juventute
 Pragae ad S. Ignatium a. 1734

INDUCTIO I.

- | | |
|------------|---|
| Theolater: | Ut fluctus haeret fluctui et primum intime
Trudit secundus in freti viscera, Notus
Qvando procellas classico rauco evocat,
Ut vaga furente fluctuat Ponto ratis
Et huc et illuc fluctibus dubiis natat,
Sic et juentae ^a pectus affectus trahit
Rapitqve varius. Cerea in bonum ac malum
Variatur instar Protei, flecti potest
In utrumqve facilis, sed sine Magistro tamen
Scyllam et Charybdim inter ambiguo capit
Consilia fluxu. Praecipite magis ruit
Incauta gressu vitia, qvo blando vocant
Sociiqve vultu. |
| 5 | |
| Eusebius: | Legibus igitur probis
Oportet illam regere, ne primo datam
Spem fallat herba flore, spes cum qva urbium,
Cum qva labantis patriae augustum decus
Honorqve crescit Numinis. |
| 10 | |
| Theolater: | Tuus hic labor
Studiumqve sit. Te tangit, Eusebi, haud levis
Cura ista, discat tenera consilio tuo
Vivere juventus. |
| 15 | |
| Eusebius: | Providus semper meas
Obibo partes, sugeram, ducam et regam,
Qvid demum honestas postulet, leges velint
Prudentiaeque debitus dictet tenor, ^b |
| 20 | |

⁸ instar] inst. DJN.

^a *Juventa, ae, f.*, tvar podle 1. deklinace, varianta k *juventas, atis, f.*; podobně utvořen tvar *volupta, ae, f.*, ve-dle kterého ovšem autor užívá i klas. podoby *voluptas, atis, f.*

^b Příklad vynechání spojky *ut*, který je pro tuto hru poměrně typický.

Nutantis animi pendulam lancem traham,
 25 Qvo Numen ipsum, Gratia et Caelum vocat.
 At mille fraudes apparat Stygia lues
 Philocosmus, insidiatur, extendit suos
 Ubiqve laqveos, nostra ne toto imbibat
 Documenta corde. Haud parcit illiciis, qvibus
 30 Capiat juventam, et toxicum mistum favis
 Fraudis propinet nesciae aetati scelus.
[87r] Theolater: Fontem hunc malorum Philotheus simul obstrue
 Palladiusqve. Dum studia seqvitur tua,
 Praelege salutis monita, sollicitus doce
 35 Sana meditari, fraena dominatus pati.
 Veta implicari fraude nocturni ducis.
 Tu age, crimen oderit omne, virtutum ut colat
 Animum decore.

Philotheus: Spondeo, assiduum viae
 Comitem ducemqve (latere ni cogat suo
 40 Invitum abire) habebit! Aeternos Stygis
 Minabor ignes, mente qvin memori jubens
 Aeternitatis volvere infaustae rotam.
 Patrata saevo qvam luent qvondam rogo
 Virtutis hostes sclera, qvam duret brevi
 45 Fugax voluptas tempore, docebo.^c Rosis
 Nec stratam ad astra ducere monebo viam.

Palladius: Tibiqve Palladiqve ne datam fidem
 Qvandoqve rumpat, neve virtutis jugo
 Collum rebellis subtrahat vitium suis
 50 Irretiatqve vinculis et ne scelus
 Virtute caepita finiat, agam praemiis
 Minisqve.

Theolater: Votis ergo jungamus operam.^d

INDUCTIO II.

Philocosmus: Inimica votis nubila recedunt procul,
 Propinat ubi Fortuna Craeseas opes
 55 Cornuqve fundit divite Argolicas suis

^c *Doceo* se v klasické latině obvykle pojí s větou se spojkou *ut* nebo akuzativem.

^d V posledním verši 1. scény a prvním verší 2. scény se opakuje výraz *votis*, který propojuje obě scény: *vota* jsou ovšem v ústech Theolaterových zabarvena kladně, kdežto na začátku 2. scény to jsou špatné úmysly. Pojem *vota* ve významu „záměry“, „plány“ je navíc pro celou hru klíčový.

- Profusa gazas, ubi quid aut Arabs legit
 Erythraeum ad aeque, in sinum large influit,
 Aut quid palatus ambit, hoc praebet penus.
 Tranquillitatis aureae ibi semper dies
 60 Agitur, ubi chori perstrepit laeti sonus,
 Serena fulgent lumina et frontis jubar
 Nec maestus unquam denigrat vultum color.
 Et haec seqvaces castra Philocosmi manent.
 Sit ergo, bullit quamdiu in venis crux,
 65 Non nisi bonis jocisque faveamus moram.
- Eleutherius: Philocosme, vive, cordium Rex inclyte,
 Amor juvenae gloriaque mundi et decus
 Ingens!^e Habebis nutibus fidos tuis
 Numerosiores, asseclae in dies petunt
 70 Tua crebriores castra, qui sese tibi
 Prono reclinant poplite et parili expetunt
 Voto bearci. Stringe sacratos tibi,
 Amore semper protege et cordi imprime.
- [87v] Philocosmus: Vivite, voluptas, gloriae seges meae,
 Recreate mentem, quod libet, pariter licet.
 75 Io,^f secundos aula in applausus eat.
- Aulicus 1:^g Jam dulcis aures mulcat chori sonus
 Animetque celeres musica in plausum pedes.
- Omnes: Vive, Philocosme, plaude et aeternos age
 Felix triumphos.
- 80 Aulicus 2: Citius Euphrates petet
 Fontem reversus, citius Eois dies
 Occumbet oris, quam colere te desinam,
 Philocosme Princeps.
- Aulicus 3: Dum suas Eurus trahet
 Vires ab ortu, nemora dum cervus petet,
 85 Dum luna nocti praeredit solque afferet
 Lucem diei, tamdiu Lares tuos
 Colemus.
- Aulicus 4: Et ego vivus ingrediar prius

82 te] de DJN.

^e Obsahem i strukturou se může jednat o aluzi na hymnus Bernarda z Clairvaux Jesu dulcis memoria, v kterém je Ježíš mj. oslobován: *Ave, Jesu, Rex Inlyte, Jesu decus Angelorum nebo amor Jesus dulcissimus*.

^f Z metrických důvodů nutno vyslovovat dvojslabičně [i-jó].

^g *Aulicus 1* rozepsáno podle kontextu a podle výskytu v hrách.

- Phlegetontis undas, citius in ceram chalybs,
 Scopulus in undas migret, in caelum solum,
 Qvam non amore pectus aestuet tuo.^h
- 90 Philocosmus: Agite, juventa ruat in amplexum freqvens,
 Grandes honorum purpas, Gangis dapes
 Tagiqve gazas, omne Philocosmus genus
 Spondet voluptae, et qvidqvad augustus favor
 95 Omnes: Largusqve faustae continent sortis sinus.
 In jussa promptos nos habes, jube, impera.

INDUCTIO III.

- 100 Joannes: Moderator orbis gratiis postqvam suis
 In immerentis servuli pluit sinum,
 Qvam gaudiorum praeferam messem, satis
 Non explicabo. Nullus est animo locus
 Placidae qvietis, mente defixum manet
 Amare Numen. Semper hoc cogito vigil,
 Hoc et qviescens somnio, hoc fesso licet
 Rumpit soporem corpori et primum statim
 Adhuc calentis cordis affectum rapit.
 O grande Caeli munus! O Superum favor!
 O, perge, Numen, imbre tam diti meum
 Rigare pectus! Testor aethereas faces
 Suoqve qvidqvad terra concludit sinu,
 105 110 Dum vescar aura, vita dum sensus reget,
 Haerebit animo, ut diligam solum Deum.
 Perdere virentis otio crimen reor
 Florem juventae. Qvamdiu ergo aetas viret,
 Excolere rectis artibus mentem lubet,
 Lubet vacare literis. Semper tamen
 115 115 Pietas amoris principem locum feret.
- [88r] Pidomenus: Desiderate millies votis mihi,
 Decus Minervae, corculum innocentiae,
 Vivito, Joannes!
- Joannes: Plurimam vobis Polus

^h Cf. Sutton, D. F. (ed.): *Joseph Simon, Theoctistus* (1654) – el. zdroj <http://www.philological.bham.ac.uk/theo/> (cit. 10.1.2015), v. 379–382: *citius in ceram chalybs, Scopus in undas migret, in coelum solum / Ille in tenacem mentis innocuae virum / Quam migret unquam.*

- 120 Reddat salutem.
 Theophobus: Nos tuae vitae duces
 Viaeque comites, latere ni arceas tuo,ⁱ
 Habes perennes, qvos favens mittit suo
 Caelum clienti, rebus ut semper tuis
 Votisqve consulamus.
- 125 Joannes: O faustum jubar!
 O lux beata!^j Qvam mihi vestro datur
 Gaudere amore. Numinis veneror manum.
 Vestris relinqvo nutibus memet lubens;
 Aeneam Achates citius et Orestem prius
 Pylades relinqvet, Nysus Euryalum prius,
 Qvam vos amatos deseram comites mihi.
- 130 Pidomenus: Qvae fabor, alto conde sub sinu memor
 Documenta vitae.
- 135 Joannes: Fare, praepando sinum.
 Pidomenus: Multas procellas mundus et fluctus habet,
 Hic haustus undis candor, hic pietas perit,
 Illinc acutas haesit ad rupes pudor.
 Secerne veris vana. Speciosus micat
 Ubiqve fulgor, splendet in opibus nitor,
 Blanditur oculis gemma, Fortunae favor
 Mulcet medullas donaqve voluptae placent.
- 140 At cerne fraudes. Intus implacidae sedent
 Furiae, cruentat angor et finem occupat
 Luctus.
- 145 Theophobus: Joannes, totus in Caelum evibra
 Vota, illa gemmis picta sydereis Domus,
 Arx illa solis, illa flammantis Poli
 Tranqilla Sedes temet aeternum suo
 Beabit aevo.
- 150 Joannes: O meta votis unica!^k
 O patria dulcis! Sordet aspectu tui
 Vel splendor orbis ipse, prae tuo mihi
 Sqvalore vilet^l omne, qvod non est Deus.
 Theophobus: Hoc qvoqve, Joannes, salubre consilium cape:

ⁱ Cf. v. 38–40.

^j Cf. pseudo-Ambrosius, hymnus *O lux beata Trinitas*, často užívaný v potridentském breviáři.

^k Cf. Sutton, D. F. (ed.): *Joseph Simon, Vitus* (1656) – el. zdroj <http://www.philological.bham.ac.uk/vitus/> (cit. 16.1.2015), v. 443; *O meta votis unica et finis meis*. Cf. *O meta votis unica, o Deus meis!*, Sutton, D. F. (ed.): *The Anonymous Jesuit Play Ananias, Azarias, Mizael* – el. zdroj <http://www.philological.bham.ac.uk/ananias/> (cit. 16.1.2015), v. 1042.

^l *Vilet*, verbum odvozené od adj. *vilis*, *e.*

- Supremus orbis Arbiter, qvodvis bonum
Donumqve nobis apparans, sacrum Sui
Timorem habere Numinis poscit. Procul
Hinc, qvi vereri respuit Numen, procul
Abit a favore Caelitum.
- 155 Joannes: Nunquam meis,
 Theophobe, fibris timor amorqve Numinis
 Sacer exulabit.
- Pidomenus: Ergo Paladii Lares
 Superest petamus.
- Joannes: Servuli est Dominos seqvi.
- 160 Pidomenus: Venerande nobis Palladis Praeses, tibi
 Rursum clientem sistimus, curae tuae
 Tradimus alumnus, fingere ut studiis bonis
 Pergas Joannem.
- [88v] Palladius: Frontis ingenuae nitor,
 Animi character semina ostendit boni
 Olim futuri. Nulla degenerem dies
 Reor Joannem cernet. Occupa locum,
 Cordis voluptas, conside et data recole
 Praecepta. Multum proderit qvondam meae
 Adiisse castra Gymnadis, qvando qvibus
 Asvescit aetas prima, adhaerescit seqvens,
 Juvenesqve qvidqvad discimus, amamus senes.
 Radix amara fateor est scientiae,
 Sed melle dulci dulcius fructus sapit.^m
 Est sane ad illam dura per vepres via,
 Recubare molli non amat, sed nec potest,
 Scientia toro; gratior sed sui magis,
 Dum venerit, erit. Summa, qvos geminus parat
 Orbis Polusqve decora, cuncta possidet
 Palladis alumnus.
- 165 Eusebius: Qvod tibi curae dedit
 Mihiqve Theolater, ut juventutis probe
 Fingatur aetas tenera, Palladii ad id
 Nuper petitam noscere operam lubet.
- 170 Philotheus: Adeamus ergo.

^m Cf. pseudo-Cato, Dicta Catonis, Collectio monostichorum 40: *Doctrina est fructus dulcis radicis amarae* (středověká formulace antické myšlenky, snad Isokratovy); cf. *Moudrost věků*, D 171, s. 117.

- Eusebius: Fausta sint huic choro
Prosperaque cuncta, gratiis Caelum suis
Vosmet secundet.
- Palladius: Charus o Superum favor!
Desideratos hospites postquam licet
Tandem vereri.
- 185 Philotheus: Gratiae segetem tuaeⁿ
Offers, juventa si probis e legibus
Consequitur auctus.
- Palladius: Palladi est praesens suae
Dilecta suboles, Gymnадis tamen unicum est
Decus Joannes, cereae in bonum indolis,
Suis et innocentiae exemplum, inclytus
Pietate, sanctitate. Nec clarus minus
Docto in Lycaeо, literis palmam piis
Palmamque doctis^o eripit ille aemulis.
190 In ore pietas fulget, in oculis pudor,
In voce pondus.^p Grande ut hinc liceat bonum
Sane augurari.
- Eusebius: Perge Joannem probe
Fingere clientem; corde quam flammam fovet
Pietatis ardensque ore, quem spirat, Dei
200 Amor, Joannem praenotant magnum fore
In orbe lumen.
- Philotheus: Nobile Joannis sibi
Virtus trophyum construit, dignas feret
Lauros honoris, fama dum late canet
Volans per orbis cardines ejus decus
205 Meritasque bigis aureis laudes vehet
Joannis olim.
- Palladius: Dicta confirmet Polus.

[89r]

INDUCTIO IV.

- Eleutherius: Grandia favoris pretia Philocosmi tuli,
Qvod sua seqvantur studia me duce asseclae
Freqventiores. Plura sed memet manent
210 Praemia, Joannes si fidem dederit mihi.

ⁿ Cf. Cicero, Pro Milone 13,35: *Quid odisset Clodium Milo segetem ac materiem suaे gloriae?*^o *Literis palmam piis palmamque doctis*, geminatio.^p *In ore pietas fulget, in oculis pudor, in voce pondus*, klimax.

		Qvidqvud vel oculus, auris aut sensus cupid Benignioris sortis, ad nutus huic Defert, seqvacem millies votis avet. Hinc versat animum cura, qvos tentem prior Aditus, reclusus gratiae ut pateat sinus.
215	Dol.: ^q	Potesne pulchra fronte mentiri, dolos Versare verbis, arte perfidiam seqvi? Eleutherius: Possum.
	Dol.:	Dolosis ergo virtutum notis Gestus refinge. Stet supercilium pius
220		Ex arte fastus, ore mentitus pudor, Simulata totum sanctitas pingat virum. Hoc fretus astu Palladis alumnis pete hic Jungi eruditis, sis ut Joannis comes, Gnavam sed operam Praesidi sponde. Dein
225	Eleutherius:	Qvidqvud laboris, consilii qvidqvud dolus Animo ministrat, promptus in socios strue. Laudanda loqveris, stat tuos nutus seqvi.
	Dol.:	Larvam huc cito adfer, fraude sic vultum tegam. Aptissime haeret, cedet ex voto dolus.
230		Ego hinc abibo.
	Clom.: ^r	Qvis fores pulsat?
	Eleutherius:	Novus Ego candidatus Palladis jungi comes Exopto vobis.
	Clom.:	Patere paululum moram, Referam petitum Praesidi.
	Eleutherius:	Refer obsecro. Tandem apta sese pandet ad fraudes via.
235	Clom.:	Hic est Lycae Rector, hunc supplex roga.
	Eleutherius:	Colende Praeses Palladis doctae domus, Pande rogitandi januam et memet choris Junge eruditis.

²²⁶ socios strue] sociosstrue *DJN*.

²³⁰ Clom.] Elom. *DJN*.

²³² Clom.] Elom. *DJN*.

^q Jméno této postavy patrně vychází ze slovního základu *dolus*, i. m. – lešt, což odpovídá i charakteru postavy. Jméno však nemůžeme přesně rekonstruovat, proto je ponecháváme ve zkratce.

^r Jméno této postavy se nepodařilo ani přibližně identifikovat, proto je ponecháváme ve zkratce. Jedná se zřejmě o jakéhosi vrátného či sluhu, který už se pak znova ve hře neobjevuje.

	Palladius:	Literarum amor an tuo Insedit animo?
240	Eleutherius:	Tantus, ut neqveam tibi Satis explicare.
	Palladius:	Si qvod ingenuus amat Cliens Minervae, pectori incumbit tuo, Monita, ut Magister qvae dabo, observes, lubens Subscribo votis.
	Eleutherius:	Omnia ad nutus agam.
245	Palladius:	Ergo fruaris interim consortio Horum, qvibuscum tempore statuto meis Accede Laribus, indolem ut tentem tuam.
	Narcissus: ^s	Veni, sodalis.
	Eleutherius:	Laetus amplector mihi Dilecta capita, summa votorum attigi, Vestro aggregatum servulum numero videns.
250	Perm.: ^t	Consilia laudo proboque tua, dum literis Statuis vacare. Qvidqvad utrovis potens Magnumqve claret axe, cuncta possidet Palladis alumnus.
	Camillus: ^u	Otium ignavum tamen Opus est rescindas, namqve diligentiae Amans alumnus charus est Apollini, Exosus autem desidis faedus nota.
255	[89v] Eleutherius:	Sed qvis laboris semper assumat jugum Curasqve foveat? Nunqvid etiam sibi chelyn Apollo fessus sumit, intensus jubens Qviescere arcum? ^v
260	Narcissus:	Scilicet quantum decet, Dandum est qvieti; distrahi mentem juvat, Qvandoque Zephyri libero afflatu frui. Sed plus dierum poscit utilis labor.
265	Eleutherius:	Catonianum praelegis vitae modum, Qvis sibi rigore demeti tanto sinat Florem juveniae? Si cui abstrusis placet Latere claustris, lateat. At sangvis qvibus

265 demeti] demeti vel temeti *DJN*.

^s *Narcissus* rozepisujeme podle výskytu v jiných hráč.

^t Jméno uvedené v rkp. ve zkratce *Perm.* se nepodařilo identifikovat.

^u *Camillus* rozepisujeme podle výskytu v jiných hráč.

^v Cf. Publilius Syrus, *Sententiae* 747: *Intensus arcus nimium facile rumpitur*.

- Generosus artus permeat, laeta lubet
 Frui juventa, dumqve vernantis^w favet
 270 Aetatis aura. Jam precor mecum gradum
 Moveatis, ardeo totus Joanni qvoqve
 Dicere salutem.
- Perm.: Forsitan gratum putas
 Te illi futurum? Falleris, nisi de Deo
 Caeloqve tractes. Palladi totus sacer
 275 Et totus innocentiae, pejus cane
 Vitii vel umbram, viperā pejus fugit.
- Eleutherius: Libet probare.
- Eusebius: Servet incolumes Polus
 Meos clientes.
- Discipuli: Gratia semper fove
 Tuos alumnos.
- Eusebius: Qvem video vobis novum
 280 Junctum sodalem?
- Camillus: Palladis tigi bonis
 Artibus anhelat.
- Eusebius: Fraude fors capere cupit.
 Proh, te trifauce turpius monstrum cane!
 Novi catervae te refragantis ducem.
 Abi, rebelle lucis indignum caput,
 285 Ni luere fraudis debitas paenas velis.
 Vos, innocentes sceleris, in partem sui
 Vosqve Philocosmi trahere in amplexum studet.
 Hic ille mentis textit astutae dolos,
 Florem juveniae primulum aeterno inserat
- 290 Stygis ut profundo. Hinc fugite Lernaea magis
 Hydra scelestum, more Sirenis canit.
 At vos Ulyssis arte deludite dolos,
 Ni sapere qvisqvam sero cum Phrygibus velit.
 Discipuli: Monito obseqventes erimus, Eusebi, tuo.

^w Cf. Propertius, Elegiae 4,5,57: *Dum vernal sanguis, dum rugis integer annus.*

INDUCTIO V.

- 295 Eusebius: Gratissimus ades, Theolater, rebus meis.
 Theolater: Te qvoqve reqviro, dulcis Eusebi comes.
 Eusebius: Vix tot procellas numerat Euripus freto,
 Qvot mollis aetas petitur insidiis. Strophis
 Vanisqve sponzionibus, honorum favo
 300 Hanc nundinatur perfidus scelerum sator
 Philocosmus. Aderat missus innocentiae
 Decoctor Eleutherius; utqve fascino
 Facile juventam retineat, nostris petuit
 [90r] Adjungi alumnis, sed malo ferre ocyus.
 305 Veni medelam et fraudibus fretum aedibus
 Istis abegi.
 Theolater: Providae, Eusebi, tuae
 Curiae rependo gratias, perge obsecro
 Vigil juventam regere, ne Circes scypho
 Fella bibat. Unus fixius mentem occupet
 310 Tamen, Joannes, cujus excelsae vigor
 Mentis et amaenior indoles qvoddam mihi
 Insinuat animo nectar.
 Eusebius: Hic cordis tenet
 Thalamum, ille poscit principem curam sibi.
 Hunc libet adire, monita qvam cordi imprimat
 315 Tenero Philothei et jussa Palladii, lubet
 Probare.
 Theolater: Menti haec vota qvoqve suberant meae.
 Eusebius: Pupilla Divum,^x candidos dies age!
 Joannes: O qvam liqventis gaudii sensus fibras
 Animumqve tangit, dum frui vestro datur
 320 Rursus favore.
 Theolater: Adhucne sedet aevi decus
 Fugere caducum, decora virtutum seqvi?
 Joannes: Citius procellas Eurus, Oceanus minas,
 Aestum Charybdis ponet, haec qvam ego deseram.
 Eusebius: Placet adamantem pectus indutum. Haud enim
 325 Integritati scopulus objicitur tuae

302 Eleutherius] Elevterius *DJN*.

^x *Divum*, arch. tvar gen. pl., klas. *Divorum* (v rkp. je arch. tvar naznačený přízvukem *Divūm*), podobně viz v. 642 a také *aeternūm*, v. 606.

- Unus, Joannes, mille Philocosmus modis
Capit juventam.
- Joannes: Pone sollicitos metus.
 Sacratiiora dogmata impressa teneo.
 Sub sole qvidqvad nascitur, mortem timet.
330 Fortuna qvidqvad tribuit, eripere parat.^y
 Sunt fluxa mundi gaudia et punto minus
 Peritura durant, ocyus Noto avolant.
 Qvod astra qvodqve Caeli delicias rapit,
 Solum dolendum dixerim malum mihi.
 Aeternitatis vivo, ne peream, memor.
- Theolater: Sapuisse nunquam crederis mihi magis:
 Sunt nempe vana somnia et inanis vapor,
 Qveis^z aucupatur fraudum mille artifex
 Philocosmus animos, mergat ut lacu Stygis.
- 340 Eusebius: Sit juncta virtus literis constans tibi,
 In alta sic te regna stellantis plagae
 Christus potenti dextera elatum vehet.
- Theolater: Fidele Caelo pectus Joannes gerit
 Consorsqve vitae semper illaesae tenor
- 345 Eusebius: Illi est; propinat gaudii hinc rivos mihi,
 Qvoties reviso, cogit, ut plaudat sinus.
 Et mihi medullis insidet charus cliens,
 Huc ergo curas vertere assiduas juvat,
 Ne qvis Joanni sepiat caeptam viam.

[90v]

INDUCTIO VI.

- 350 Eleutherius: Latet illud alte vulnus in venis adhuc,
 Eusebius ausus qvo meum est petere caput.
 Ergone semper perfidus conatibus
 Meis resistat consiliaqve dissipet?
 De me triumphet hostis? Insultet, tonet?
355 Non patiar, umbras juro Tartarii lacus.
 Ibo, scelesti studia Philocosmus sciet,
 Flamas furoris ut exerat pares meis.

352 conatibus] seq. littera superfluens m DJN.

^y Cf. Publilius Syrus, Sententiae 295: *Levis est Fortuna, cito reposcit, quod dedit.* Viz též: *Moudrost věků*, L 49, s. 222.

^z *Qveis*, arch. tvar dat. / abl. pl., klas. *qvibus*.

- 360 Philocosmus: Nondum fidelis tecta repetivit mea
 Minister Eleutherius?
 Servus 1: Aderit fors brevi.
 Philocosmus: Bene ominari tarditas missi facit,
 Certum secundae spondet eventum rei.
 Servus 2: En tibi cupitum.
 Eleutherius: Vive, terrarum inclyte
 Philocosme Princeps.
 Philocosmus: Tibine successit labor?
 Eleutherius: Studium omne vano cecidit eventu irritum,
 Eusebius effrons, saevus, invisum meis
 Tuisque, Princeps, ausibus monstrum vetat,
 Qvo crebriores castra Philocosmi petant.
 Philocosmus: Pro qvis per artus ignis irarum volat!
 Rabie tumesco, totus in furias agor.
 370 Eleutherius: Ergone pestis illa conatus meos
 Eludet omnes?
 Eleutherius: Insuper si qvid tuo
 Fili arbitratu novit, hoc totum suis
 Evehit ille machinis. Vigil excubat
 Ubiqve, ne qvis veniat in casses tuos.
 375 Philocosmus: Pro qvam molestis aestuat pectus rogis!
 Ergone durus, pertinax rursum novos
 Exsuscitare pergit et nostro ciet
 Regno tumultus? Sceleris haud tantum feram.
 Inferna testor flumina, gehennae caput!
 380 Philocosmus: Aeternus iras pascket ultrices dolor.
 Prometheus ego non ero Eusebio novus,
 Cui dente adunco viscera ac imos mei
 Cordis recessus nescius vultur mori
 Rodat. Joannem cassibus praedam meis
 Cupio! Resistat hostis, audendum tamen.
 385 Philocosmus: Vanophile et Cosmogenes, proni in mea
 Abite vota, centuplos vestro Duci
 Plausus daturi, si juventae nobile
 Sydus Joannem traxeritis unum meam
 Modo in seqvelam.

359 Eleutherius] Elevterius *DJN*.

- Vanophilus: Viribus totis agam,
In vota qvidqvad servit.
- Cosmogenes: Et ego, haud negligens,
Submittat animum, qvoqve Philocosmi vocat
Favoris aura, flectat Joannes ratem,
Svadebo. Qvidqvad allicit mentem, instruam.
- 395 Philocosmus: Agite, labori praemium par vos manet.

CHORUS

[91r]

INDUCTIO VII.

- Joannes: Ut flos in hortis oritur et moritur, vices
Humana sic sors ludit in mundi foro.
Pandit theatrum Flora purpureum, viret
Ridetqve germen floridum; ast subito cadit
Fatorum in urnam pallidum. Sic qvi modo
Felicitatis ectypon, mundi decus
Apparet, inopine occidit et umbris jacet
Gravibus sepultus. Nobile hoc virtus decus
Et sola et una vendicat, qvod tristibus
Fatis superstes floreat, nusquam mihi
Haec ergo pectore excidet.
- Theophobus: Multum tuus
Placet, Joannes, fervor, at Marpesias
Nutare rupes vidimus. Vidi Noti
Zephyriqve flatu concuti annosas cedros.
- 400 Pidomenus: Non fide facile viribus tuis, opem
Superum necesse est expetas, sine qva ruis,
Adamante credis stare cum firmum magis.
- Eusebius: Magnae clientem Matris exopto fore
Temet, Joannes, gratiae cupis thronum
Devotus illi qvis qvis accedit, suis
Sese beatum praedicat votis. Huic
Deprome cordis intimi affectus tui,
Cultor Mariae, semita ut te dirigat
Felicitatis.
- 405 410 415 Joannes: Tangitis cordis fibras.

420 O, qvam Mariae nomen auribus influit
 Meis amaenum, dulce! Me totum rapit
 Totusqve amore flagrat immenso sinus!
 Huic devovere servulum memet cito,
 Ah, flagito, cito liceat! Huic uni sacer
 Vivam secundum Numen.

425 Eusebius:
 Ergo Virginis
 Domum sacrae adeamus. En, colitur pie
 Sub Monte Viridi propitia Genitrix Dei,
 Hic qvaere asylum refugiumqve tuum elige,
 Svadeo, Joannes.

430 Joannes:
 Millies salve mihi,
 Augusta Caeli Domina, terrarum Salus!
 Ter mille plantis oscula infigo Tuis.
 Cerne, o benefica Gratiae Mater, Tuo ut
 Aestuet amore pectus! Ah, omnes mihi
 Solvit medullas ardor! Obseqviis cliens
 Tuis dicatus esse suspiro, Tibi
 Servire anhelo. Qvoqve Tibi placeam magis,
 Virgo, tuebor pectoris casti nives.
 E rupe praeceps victima Procrusti cadam,
 Scironis ense caesus occumbam prius,
 Qvam pectus isthoc Cypridis infami face
 Patiar aduri. Indutus Hyppolitum, minas
 Ridebo Phaedrae, et otium Aegypti nepos
 Ne sim, colubro pejus et cane inseqvar.
 Uni patebit cor meum posthac Tibi,
 Tibi vota ferventesqve numerabo preces.
 Ergo secunda gratis servum Tuum,
 Qvi se reclinat poplite recurvo Tibi.

440
 [91v]
 445

INDUCTIO VIII.

- Eleutherius: Vanophile Cosmogenesque, nunc cardo rei
 Vertitur,^{aa} ut hamo melleo Joannem trahas
 Ad studia nostra. Veniet hac redux via,
 Agite ergo, qvidquid allicere mentem potest
 Sensusque delinire, prompti accingite.
 450 Vanophilus: Disposita jam sunt cuncta, nil desideres^{bb}
 Praeter Joannem.
 Cosmogenes: Gaudiis modo eligat
 Litare, nostro facile jungetur choro.
 Vanophilus: En, expetitus hospes Joannes adest!
 Eleutherius: O, mille anheli pectoris suspiriis
 Optate! Cordis unica voluptas, ave!
 Joannes: Nescio, quid isthaec sibi velit amoris nota,
 Fors ludit error? Debitus tantus favor
 Alii videtur.
 460 Cosmogenes: Alius haud menti insidet
 Praeter Joannem, te petimus unum et tuas
 Hilares amico stringere amplexu fibras.
 Joannes: Tanto favori gratias reddo, at prius
 Pandite, studia qvae vestra, qvis vitae tenor
 Non fido cuique.
 Eleutherius: Pone noxios metus,
 Ne suspicare qvempiam nostris dolum
 Subesse dictis, candidae mentis sumus.
 Vanophilus: Tantum huc pedem infer, nutibus cernes tuis
 Aedem paratam.
 470 Joannes: Sed quid haec rerum notant?
 Cosmogenes: Animus faventum tibi relaxando studet,
 Etenim virentem gaudia aetatem^{cc} decent.
 Joannes: Virtus tenellam nobilis mentem decet.
 Eleutherius: Arcum hunc remittas. Aurea juventam qvies,
 Pax aurea sales inter ac risum fovet!
 475 Agite, sodales, ergo, deliciis frui
 Qveat Joannes! Ducite in bonis diem!

^{aa} Cf. Quintilianus, Institutiones Oratoriae 12,8: *Ubi litium cardo vertitur*; zde ve smyslu „jádro pudla“, autor využívá pro vyjádření stěžejního momentu. Viz též Vergilius, Aeneis 1,672: *haud tanto cessabit cardine rerum*.

^{bb} *Desideres*, konj. prez. ve smyslu účelovém.

^{cc} Cf. v. 112: *virentis juventae*.

	Venant.: ^{dd}	Spument Falerno pocula et Coo scyphi, Laxare fraena sensibus nobis licet, Gaudete, socii, plausibus mentem date.
480	Omnes:	Vivat Joannes hospes!
	Joannes:	O curvas nimis In vana mentes! Gestiunt ad organum Et adhuc tenentes tympanum in Stygem ruunt.
	Aulicus 1:	Lubetne amaenis paululum mentem dare Ludis Diana? Musicum aut forsan melos, Joci et choreae paeplacent? Manda, impera.
485	Aulicus 2:	Adest voluptas varia, deliciae merae, Qvas sine remorsu blanda libertas favet. Nihilne pectus mulcet?
	Joannes:	Ah, potius velim Inter furentes tygridis certus necis, Inter leonis horridos dentes premi, Mundi fugaces qvam eligam illecebras seqvi.
	Laet.: ^{ee}	Fors saltus animum poterit allicere tuum, Ergo sonoras excite plectrum fides.
495		Nonne placet animo?
	Joannes:	Magis ego Elysias domos, Aeterna Tempe paefero voluptae brevi.
	Hil[arius]: ^{ff}	Jucunditatis qvidpiam hic forsan dabit.
	Philocosmus:	Munera seqventur plura, te Laribus honor Excipiet, auro poteris ingenti sinum Cumulare felix teqve de medio erutum In celsioris ferre Fortunae gradum.
500		
	Joannes:	Sed qvid? Smaragdos inter et Eoi licet Inter pyropos litoris Mydas rubet, Tamen cruentus incubat, somno procul, Procul qviete, vepribus. His Numen dabit
505		Majora dona, si datam servem fidem. Non haec anhelat cor meum, in Superum Domos Infensa terris fertur, et qvidqvid videt, Mortale dicit, vana rerum somnia.

491 leonis] leones DJN.

^{dd} Postavu nelze jednoznačně identifikovat. Podle smyslu by snad mohlo jít o toho, kdo „loví“ (*venare*) Jana - vu duši, nebo spíše o toho, kdo má rád lov.

^{ee} Zřejmě jméno postavy odvozené od adj. *laetus, a, um* – veselý. Možná tato participia neoznačují další postavy, ale stav nálady u jednajících postav, zde tedy patrně dvořanů.

^{ff} Zřejmě *Hilarius* nebo jiné jméno odvozené od adj. *hilaris, e* – veselý.

- 510 Mart[ius]:^{gg} Si cordis ignes fortibus pares foves,
 Surgito per alta, decora te Martis vehent
 Ad astra, bellis inclytum Tellus canet.
 Joannes: Si bella vitiis, bella criminibus gerens
 Et victor animum Marte non segni domans,
 515 De me triumphum concinam. Immensa decus
 Hoc esse laudis judico. Haud vano capi
 Rerum nitore, spernere humanas opes,
 Hoc ego propinquum judico ad Superos iter.

INDUCTIO IX.

- 520 Nunquam tua seqvar castra, pro fallax cohors!
 Alta est repostum mente documentum datum:
 Ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis attende.^{hh}
 Ah, absit a me, gaudiis ut paeferam
 Non desituri temporis puncto brevi
 Fugitura mundi gaudia! Immiti metar
 525 Cras ocyusve Lachesis aut Clothus manu
 Ac addar umbris umbra, perituros tamen
 Fasces, honores, purpuram ac opes Mydae
 Pernox reqviram et perdius? Mundi dolis
 Sese teneri, qvisqvis insanit, sinat.
- [92v] Theolater: Precor, Joannes, vota fortunet Polus.
 Joannes: Grandi favore servulum adventu beas.
 En, freta fuco turba Philocosmi suis
 Rursus paravit me capere laqueis. Dari
 Qvae illicia possunt sensuum, ad nutum obtulit.
 535 Sed vita qvidqvad continet praesens boni,
 Inane munus, jubaris occidui decus
 Vanaqve tectas luce qvisqvlitas puto.
 Theolater: Ingens in animo gaudium excis, at nota
 Tamen, Joannes, sola sibi constantia
 Fabricat coronam.
- 540 Joannes: Spondeo firmam fidem.
 Hanc nulla mentem pretia, non sortis favor,

⁵²¹ Ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis attende.] Ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis attende *D/JN*.

^{gg} Zřejmě jméno naznačující, že jeho nositel je stoupenec Marta, boha války.

^{hh} Sir 6,13: *Ab inimicis tuis separare et ab amicis tuis adtende*. Citát je zmiňován i v synopsi a patrně tvoří jedno z hlavních poselství hry.

Non si per enses perqve flamarum globosⁱⁱ
 Et mille rapter caedes horrendae necis,
 Vis nulla vertet.

- Theolater: Vita sic expers mali
 545 Boniqve dives aeviterni te manet.
 Joannes: Nunqnam ergo desine prosequi caeptam viam.
 Citius Eoam Zephyrus afflabit domum,
 Qvam non, Theolater, obseqvar monitis tuis.

INDUCTIO X.

- 550 Theolater: Huic ampla fluxit vena divinae indolis,
 Cerno, in Joannem profluit pleno alveo
 Laudata virtus. Quid aliud enim praenotant
 Erectus animus, fortis et gravium capax
 Periculorum, lingva consilii ferax,
 Prudensqve sensus, qvam decus eum olim fore
 555 Lumenqve religionis. O, vellent pari
 Ardere flamma et igne flagrare aemuli
 Joannis, ut ament Numen et Caelestium
 Memores sibi datas exigant vitae dies!
 Perqvam venitus commodum,^{jj} socii mei.
- 560 Aemulus: Servire si tibi servuli possunt, jube.
 Narcissus: Ad jussa, Theolater, tua paratos vides.
 Theolater: Ubi nunc, amata pectora, egistis moras?
 Rosilus:^{kk} Recreare mentem libuit.
 Theolater: Et amabo, simul
 Florilus:^{ll} Eratne vobis junctus Joannes?
 Nihil
 Hilaria pendit nostra, dumtaxat sibi
 Vacare gestit.
- 565 Theolater: Nempe virtutum tenet
 Amor Joannem vinculo tam arcto, ut prius
 Radice ab ima Caucasum avulsum trahas,
 Qvam ut sanctioris deserat vitae modum.

543 necis] neces DJN.

ⁱⁱ Cf. Vergilius, Georgica 1,472–473: *Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam / flamarumque globos,*
liquefactaque volvere saxa!; Vergilius, Aeneis 3,571–574: *sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis / [...] / Atto-*
litque globos flamarum et sidera lambit.

^{jj} *Commodum*, adv. vytvořené od ak. sg. neutr. adj. *commodus, a, um.*

^{kk} *Rosilus* rozepisujeme podle výskytu v jiných hrách.

^{ll} *Florilus* rozepisujeme podle výskytu v jiných hrách.

- 570 Solum ille volupe ducit in farris nive
 Deo latente pascier,^{mm} Divis sacra
 Freqvens obire limina, innumera prece
 Superos Deumque flectere. Illecebras fugit
 Mundi et voluptae nauseat dulcedinem.
- 575 O, qvam serena sydus aeternum plaga
 Fulgebit olim, dum Deus plena manu
- [93r] Praemia reponet! Gloria et et meta carents
 Caeli voluptas, omne, qvod datur bonum,
 Manet Joannem.
- Narcissus: Cordis accendis fibras,
 580 Sed nunqvid istis gaudiis nobis frui
 Pariter licebit?
- Theolater: Lege si vitam pari
 Sicut Joannes agere, si illius seqvi
 Vestigia placet. Hic coronarum leget
 Messem subinde, blanda qvi renuens seqvi
 585 Mundi, suimet vitor existit.
- Rosilus: Procul
 Sint ergo mundi gaudia! Illecebrae mihi
 Valete carnis! Ite, divitiae Mydae,
 Talenta Craesi! Jam Ducem Christum seqvar.
 Ne praeda dente Cerberi qvondam vorer
 590 Acheronte mersus, praelium inferno Jovi
 Et blandienti, qvae libet, carni offero.

Florilus: Valete, honores! Pompa cum titulis, vale!
 Mundo deinceps reprobus, charus Deo
 Vivere peropto.

Narcissus: Nuncium mundo qvoqve
 595 Ego remittam, marmori innixae ac cedro
 Neronis aedes fulgeant, jactet sua
 Lucullus orbi pegmata, affluent opes,
 Nihil movebunt. Scena sunt fraudum omnia,
 Abhinc sacrabo Numini vitae dies.

600 Car.:ⁿⁿ Ego qvoqve inanem calco Fortunae globum,
 Complexus animi decora, stat cordi pudor,
 Stat alma pietas, castus aetatis tenor.

574 Mundi]. undi *DJN*.

^{mm} *Pascier*, inf. prez. pas. (med.), klas. *pasci* (živit se, sytit se).

ⁿⁿ Jméno postavy se nepodařilo identifikovat.

- Theolater: Nil hic perenna, perstat immotum nihil,
 Fuere Troës, Ilium qvondam stetit,^{oo}
 605 Nunc thalamus Helenae factus est Cereris torus.
 Aetherea solum stabit aeternum Domus.
- Florilus: Stat mente fixum adamantina Joannem aemuli
 Virtute rectisqve artibus volumus seqvi.
- Theolater: Supreme Rector syderum et rerum Arbiter,
 610 Dirige clientes semita hos recta Tuos
 Et caepta vota Gratiis firma Tuis.

INDUCTIO XI.

- Palladius: Pignora adamata! Glorie qvisqvis cupit
 Solium tenere paceqve optata frui,
 Sciat necessum sibi, scientiam ut colat.
 615 Ex hac tiarae Pontifex tollit decus,
 Hinc erubescunt purpuratorum tori,
 Inde diadema regia prehendit manus,
 Hinc civitatum fulcra, regnorum bases,
 Patriae parentes et fatiscentis Poli
 620 Surgunt Atlantes. Saepe qvia marcat tamen
 Sine hoste virtus, unus alterius probet
 Ingenium oportet. Proximus igitur dies
 Certaminis erit, palma cui venerit, feret
 Dignum laboris praemium.
- [93v] Discipulus 1: O tantum forem
 625 [Discipulus] 2: Victor ego! Qvantum plauderem in cordis sinu!
 [Discipulus] 3: Inane votum est, praeripi mihi non sinam
 Primos honores.
- 630 Palladius: Et ego vobis non ero
 Inferior, omne colligam ingenii robur
 Viresqve totas exeram, ut locum mihi
 Primum in Lycaeо vendicem.
- Eusebius: Multum placet
 Hic vester ardor, diligentiae suaе
 Jam specimen ergo qvisqve paeclarum paret.
- Eusebius: Qvae tibi, Joannes, cura? Vincere si cupis
 Victoriaqve clarus inter aemulos

^{oo} Cf. Vergilius, Aeneis 2,325–326: *fuimus Troes, fuit Ilium et ingens / gloria Teucrorum.*

- 635 Enuntiari, Caelitum superest tibi
 Amplas mereri gratias, constans agas.
 Humanus etenim proficit nunquam labor
 Sine Numinis ope, semper auxilio indigi
 Superum manemus. Non tamen petentibus
 640 Juvamina negant, ergo anchoram huc spei
 Jace et favorem precibus intensis tibi
 Mereare Divum. Virginem imprimis tamen
 Deique Matrem beneficam, sapientiae
 Sedem, calenti cordis affectu invoca.
 645 Ab hac venire senties lumen tibi.
 Joannes: Ah, ibo monito ductus, Eusebi, tuo,
 Ut hanc cupidam consequar dubius Pharon,^{pp}
 Ibo et sacratis adgeniculabor cliens
 Plantis Mariae. Fervida hanc vincam prece,
 650 Ut mihi recludat Gratiae Mater sinum.
 Eusebius: Hoc age, Joannes, annuet votis tuis,
 Qvae postulanti porrigerem fidam manum
 Non tardat ulli.
 Joannes: Dulcis ah Virgo mea!^{qq}
 Tu meum es asylum spesque mea! Rursus Tuum,
 655 Regina, supplex gratiae accedo thronum;
 Annue petenti, ferre qvae gaudes opem
 Inopi, et benigna meis fave conatibus.

INDUCTIO XII.

- Theophobus: Hucusque semper aemulos inter suos
 Victor Joannes fuerat et talem fore
 660 Etiam deinceps nullus est dubio locus.
 Satis tuetur diligentia eum sua
 Pietasque, qva ille Caelicos primus sibi
 Rapit favores.
 Pidomenus: Singulis primum est bene
 Hoc ominari: lauream e certamine
 665 Feret Joannes, aemulos vincet suos.
 Namque ille semper certus est victoriae,
 Cui pugnat Aether.
 Philotheus: Decora non isthaec modo
 Carpet Joannes, gloriae qvondam exitum

^{pp} *Pharon*, řec. tvar ak. sg.

^{qq} Cf. oslovení Panny Marie *O dulcis Virgo Maria* v písni *O Sanctissima* nebo v hymnu *Salve Regina*, s nímž lze najít významové paralely i v následujících verších.

- [94r] Ter laureatum magnus in Superos amor,
 Excelsa virtus et pius vitae tenor
 Constansqve spondet.
- Eusebius: Nosse jam forsan dabit
 Palladius, ecqvis vendicet primas sibi
 Honoris et qvis lauream tandem ferat.
- Palladius: Huc ergo adeste, Palladis alumni mei,
 Multum probastis singuli ingenii robur
 Certando. Dederat qvisqve profectus sui
 Illustre specimen, unus excellit tamen,
 Ut inter umbras gemma splendidius micat
 Et inter omnes eminent scientia,
 Victor Joannes.
- 675 Philotheus: Debitam hanc palmam sibi
 Poscit Joannis diligentia et preces
 Junctae labori.
- Alumni 1, 2: Debitam hanc illi dari
 Victi fatemur, hunc decent plausus notae,
 Hunc decora laudum.
- 680 [Alumnus] 2: Gloriae huic crescit seges,
 Redimi virenti laurea dignum est caput,
 Dignum triumphis.
- [Alumnus] 3: Palladis nostrae est decus,
 Est norma juvenum.
- Eusebius: At literarum non modo
 Hic primus inter aemulos dicit chorum,
 Virtute praestat caeteris longe, pios
 690 Habet seqvaces.
- Palladius: Ergo huic plausus date.
- Omnes: Vivat, perennet, vota fortunet Polus
 Semper Joannis.
- Joannes: Debitus totus Deo
 Est hic triumphus, omnis e Caelo venit
 Numine jubente palma.
- Theo[later]:^{rr} Virtutem probo.
 Id esse solum fateor egregium decus,
 Virtus honorqve sede cum fulgent pari.
- 695 Philotheus: Sic perge constans vivere sacratus Deo,
 Ille radiantem luce gemmarum suis

686 Palladis] ...ladis DJN.

^{rr} Theo. = Theolater nebo Theophobus, podle kontextu jde však spíše o Theolatera.

- 700 Fingit coronam; qvosqve decursa orbita
 Transcritbit astris vita flagitio carens,
 Solio locatos trahere felicem jubet
 Per saecla vitam pacis aeternae sinu.
- Joannes: Haec vestra promptus monita suscipio cliens,
 Vivam sacratus Numini, nunqyam in Deum
 Amoris aestus cedet a fibris meis.
705 O Magne Regum Rector et vitae Arbiter!
 Si justa posco, si Tuis sacris honor
 Accedit aris, servulo hoc fave Tuo,
 Virtute clarus pariter et scientia
 Ut semper addam Gloriae augmentum Tuae.

A. M. D. G. et S. J. N. H.